



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

52. Universis, & singulis &c. Monitorium die 30. Julii 1707. expeditum
contra Præsidem Civitatis Aquilæ, & alios Secularis Potestatis Officiales
reos violentæ expulsionis Episcopi Aquilani è dicta ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

Petit, & summa cum instantia postulavit, ut pro nunc ad aggravatoriam dictarum Censurarum procedere dignemur.

§. 3. Nos igitur attendentes petitionem, & requisitionem hujusmodi fore justam, & rationi consonam, quodque iusta petenti non est denegandus assensus, inhaerendo praedicto Chirographo superius inserto, & registrato, ac facultatibus Nobis concessis, & attentâ notorietate facti, quae nulla tergiversatione celari potest, antedictas Censuras harum serie pro nunc aggravamus; Quocirca Vobis omnibus, & singulis supradictis in toto Neapolitano Regno existentibus mandamus, & districte praecipimus, sub poenis arbitrio nostro, quatenus praedictum Dominicum sic excommunicatum singulis diebus Dominicis, & aliis Festis in vestris quisque Ecclesiis, Candelis accensis, & pulsatis Campanis post Divina Officia, vel statim Missa Conventuali, aut privata respectivè terminatâ, publicè, & solemniter excommunicatum, & aggravatum denunciatis, & publice, donec aliud à Nobis habueritis in mandatis, inhibendo omnibus, & singulis vestris Subditis, & Parochianis, ne eidem sic excommunicato communicent, vel exequendo ejus Mandata, Sententias, Decreta, aut quomodolibet ei parendo (cum ipse omni penitus denudatus sit, & fuerit jurisdictione, ejusque Sententiae, & Decreta nulla prorsus, & inania sint, & fuerint) aut alio quovis genere communionis prohibita participent, ac contravenientes quomodolibet certificatis, prout Nos harum serie certificamus, quod abque dubio minoris excommunicationis sententiam, & poenam incurrent, quam per praesentes incurfuros fore singulos publicè nunciatis, & Nos nunciamus. Unde sedulè moneatis omnes, prout Nos tenore praesentium monemus, ut ejus confortium fugiant, sperantes in Domino ipsum his poenis ad Ecclesiam esse rediturum cum debita contritione, Datum Romae ex Curia Innocentiana Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo septimo, Indictione decimâ quintâ, die verò 30. Mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papae Undecimi, Anno Septimo.

Carolus de Marinis Auditor, & Judex Delegatus.

Loco † Sigilli.

Paulus Facius Curia Caesarum Camera Apost. Notarius.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1707. Indictione 15. Pontific. verò Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis divina providentia Papae XI. die verò Martii 2. Mensis Augusti retroscripta Gravatoria Censurarum contra retroscriptum d'um Dominicum Garapholum lata executâ fuit in valvis Curiae Innocentiana, & in Acie Campi Flora ibidem ejus exemplis relicto, & affixis per me Thomam de Unionibus Cursorem Apostolicum. In quorum fidem &c.

Idem Thomas de Unionibus Sanctissimi Domini Nostri Papae Curs.

MONITORIUM

III.

Die 30. Julii 1707. expeditum contra Praesidem Civitatis Aquilae, & alios Secularis Potestatis Officialis Reos violentae expulsionis Episcopi Aquilani à dicta Civitate, & Regno Neapolitano ob Ecclesiasticam Immunitatem, & Episcopalem auctoritatem ab eodem Praesule strenuè propugnatam.

Carolus de Marinis Prothonotarius Apostolicus utriusque Signaturae Sanctissimi Domini Nostri Papae Referendarius, nec non Curiae Caesarum Camera Apostolica Generalis Auditor, Romanaeque Curiae Judex Ordinarius, Sententiarum quoque, ac Censurarum, tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, & Literarum Apostolicarum quarumcumque universalis, ac merus Executor, nec non in praesenti Causa à Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papae XI. specialiter Delegatus.

Universis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Parochialiumque, & Collegiarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, ceterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos praesentes nostrae literae pervenerint, seu quomodolibet praesentabuntur, salutem in Domino &c.

§. 1. Noveritis fuisse nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad instantiam Perillustris, & Excellentissimi Domini Philippi Antonii Totti SS. D. N. PP., ejusque Reverendae Camerae Apostolicae Generalis Procuratoris Fiscalis, & expositum, quod cum de mense Martii 1700. seu &c. quondam Josephi Carosi de Terra Fossae, Aquilanae Diocesis, carceratus à Curia Laicali Civitatis Aquilae, & successivè per Regiam Audientiam ejusdem Civitatis pro uno, seu pluribus Homicidiis, morti, ut ferebatur, damnatus, allegasset in Foro Episcopali Clericatum primae Tonfurae, tunc in humanis agens Fr. Ignatius de la Zerda Episcopus Aquilanus, ut Immunitatem Ecclesiasticam pro viribus tueretur, ac praedictis, quae ei ex captura dicti Josephi, & respectivè executione sententiae contra illum late inferri potuissent, opportunè occurreret, captis primùm nonnullis probationibus super praefato Clericatu, mox sub die 12. dicti mensis Martii ad instantiam sui Promotoris Fiscalis, Monitorium contra Ministros praefatae Regiae Audientiae, pro obtinenda remissione dicti Josephi, unâ cum actis ad suam Curiam Episcopalem, sub poena excommunicationis majoris, decrevit, & exequi mandavit, cui quidem Monitorio non integraliter obsequentes iidem Ministri Regiae Audientiae, sed dumtaxat suspensa executione sententiae, praefatum Josephum à Cappella, seu, ut vocant Confortaria, educi, & ad carceres publicos poni mandarunt, undè postmodum, scilicet sub die 29. dicti mensis Martii, idem Episcopus parendo mandatis Sacrae Congregationis Immunitatis Ecclesiasticae, aliud Monitorium expediri, & exequi curavit contra praefatos Ministros Regiae Audientiae, jubendo ipsis pariter sub poena excommunicationis majoris, ut consignarent, vel consignari facerent antedictum Josephum, ad effectum eandem eum custodiendi in Carceribus Ecclesiasticis, vel saltem, ut iidem Ministri Regii, accedente tamen obligatione Personae legitimae in formâ validâ pro tutiori custodia, illum retinere deberent in Carceribus Laicalibus nomine Ecclesiae, donec

Episcopus Aquilanus respectu Curiae Laicali Aquilanae Carceratum qui in Foro Episcopali Clericatum allegaverat: Eandem Curia petitionem & censuras comminatas contemnit, & Carceratum ultimo suppli in obsequio: Idcirco nonnulli d. Curiae Officiales ab Episcopo excommunicantur.

A.C. mandat D. Garapholum solem iter denunciari Excommunicatum & ab omnibus illius confortium evitari.

in Judicio Ecclesiastico emanasset sententia declaratoria, an gaudere deberet, vel non privilegio Clericatus: Verum dicti Ministri, acceptis, ut fama tulit, responsis à Civitate Neapolis pro omni moda executione sententiæ, prænomi-
natum Josephum versus finem dicti mensis Martii, prædictis Monitoriis neglectis, nullaque habita ratione Censurarum in eis comminatarum, ultimo supplicio, scilicet, Furcarum, extra Civitatem affici fecerunt; quamobrem præfatus Episcopus, nè inultum relinqueret vulnus planè gravissimum, Ecclesiasticæ Immunitati, & Jurisdictioni, sicut præmittitur, inflictum, excommunicatos & excommunicatione majori innodatos declaravit, & publicavit Doctores Nicolaum Gaudiosum, Antonium Cortes Auditores Rotæ Regiæ Audientiæ, Fulvium Salsanum advocatum Fiscalem, & Cajetanum Milani Magistrum Actorum ejusdem Regiæ Audientiæ, reservando Præsidem, & nonnullos alios Officiales pro gubernio Provinciæ, & Casuarum prædictæ Regiæ Audientiæ.

§. 2. Delatâ postmodum notitiâ declarationis hujusmodi tunc existentis Proregi Neapolitano, ab eodem, & tunc pariter existentibus Regentibus Regii Collateralis binæ literæ datæ diebus 3. & 24. mensis Aprilis 1700. eidem Episcopo fuerunt conscriptæ, in quarum prima monebatur, ut in posterum abstineret à petenda remissione prætenforum Clericorum, nisi prius servatus fuisset allegatus, at semper à Sanctâ Sede Apostolicâ improbarus Ritus Magnæ Curie Vicariæ, nec non revocaret Censuras latas contra antedictos Ministros Regiæ Audientiæ; In altera verò præfatus Episcopus fuit vocatus Neapolim; ac insuper in odium Justitiæ, Libertatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, Consanguinei Ministrorum, & Officialium Curie Episcopalis, & Testium, alioquin Ecclesiastico caractere insignitorum, qui ad favorem antedicti Josephi, ad effectum probandi Clericatum recepti fuerunt, tam masculi, quam fœminæ, nulla habita ratione sexus, & ætatis, carceribus auctoritate Laicali mancipati fuerunt; Cùmque dictus Episcopus se Neapolim contulisset, ibique per longum temporis spatium inutiliter moratus esset, absque eo quod ad audientiam memorati Proregis unquam admittis fuisset, tandem de ordine sâ: mem: Innocentii Papæ XII. inde discessit, ac ad pascendas oves sibi commissas reversus fuit ad Civitatem Aquilæ, quo cum pervenisset, excommunicatos declaravit ob mortem illatam dicto Josepho reliquos Ministros, aliàs reservatos pro gubernio Provinciæ, nempe Don Orontium Monforte Ducem Lauriti Præsidentem dictæ Civitatis Aquilæ, & Doctorem Gasparem Narbonam alterum ex Auditoribus Rotæ Regiæ Audientiæ, ac pariter excommunicatum declaravit Philippum Mancini Procuratorem Fiscalem, & Sabbathum Raito Actuarium prædictæ Regiæ Audientiæ, & causâ appositionis sequestri super fructibus, & redditibus Mensæ Episcopalis. Qui tamen Philippus, & Sabbathus, nec non Cajetanus Milani Magister Actorum, postquam eorum quilibet Ecclesiæ satisfecerat, plenariam absolutionem obtinuerunt.

§. 3. Quibus sic ita se habentibus sub die 20. Julii dicti anni 1700. sono tubæ per Præconem, cum notorio contemptu, & maximo totius Populi scandalo, fuit ter publicata expulsio dicti Episcopi ab ejus Civitate, Diocesi, & toto Regno, & respectivè eidem Episcopo ausu temerario, Dei timore posthabito, ac Dignitatis Episcopalis reverentiâ profus neglectâ, fuit præsentatum præceptum in forma publicâ, & Sigillo munitum, tenoris sequentis videlicet. *Carolus Dei Gratia Rex &c. Don Orontio Monforte*

Duca di Laurito, Marchese di S. Giuliano, utile Signore delle Terre di Montano, e Massicelle, Principe del Sagro Romano Imperio, Preside, Governatore dell'Armi, e Commissario Generale della Campagna in questa Provincia di Abruzzo ultra &c. Noi Dottor Nicola Gaudiosi Capo di Rota, Auditori Dottor Antonio Cortes, Dottor Cesare di Capua, e Dottor Fulvio Salsano de Luna Auditor Fiscale della Regia Audienza di detta Provincia &c. Havendoci Sua Eccellenza ordinato con duplicati dispacci, uno in data de' 10. del corrente Mese di Luglio, e l'altro de' 17. del medesimo che si ordini à quello Monsignor Vescovo della Città dell'Aquila D. Fr. Ignatio de la Zerde, che come inconfidente di Sua Maestà, che Dioguardi, e del suo Real Domino, e indegno della sua Real grazia, per aver perturbato la pubblica quiete di questo Regno, & esser stato disobbediente agl'ordini Reali, che parta subito da questo Regno, e che in quello non ritorni senza special permesso della prefata Eccellenza, & acciò possa con tutta sollecitudine obbedire nell'istesso tempo, che li sarà notificato nella forma solita, quanto Sua Eccellenza comanda, se gli fa noto, che avanti della Porta della sua habitazione stà pronta la lettiga per condurlo fuori di detto Regno, in esecuzione degl'ordini di detta prefata Eccellenza Aquilâ li 20. Luglio 1700. Loco sigilli: Il Duca di Laurito, Nicolaus Gaudiosus, Antonio Cortes, Cesare di Capua, V. Fiscus, Aniellus de Petris Secretarius &c. Sicque eidem Episcopus, ex quo Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum præscriptis inhære, & suo muneri, & Episcopali Officio pro defensione Ecclesiasticæ Immunitatis satisfacere voluit, compulsus fuit abire, & suam Ecclesiam Pastoris solatio destitutam relinquere. Quamobrem in Civitate Reatis se recepit, ubi post aliquod tempus à sua Ecclesia exul, ex hac viâ migravit, rebusque aliis &c. Prædicta omnia memorati Don Orontius Monforte Dux Lauriti, Nicolaus Gaudiosus, Antonius Cortes, Cesar de Capua, Fulvius Salsano de Luna Auditores Rotæ, & Advocatus Fiscalis respectivè Regiæ Audientiæ Civitatis Aquilæ, nec non Procurator Fiscalis, & Aniellus de Petris Secretarius commiserunt, & patrarunt; pœnas propterea, ac censuras in Sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi solita, contentas, damnabiliter incurrendo, tam conjunctim, quam separatim, & divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo non solum &c. sed & omni &c. super quibus &c. Quæ omnia, ut pro parte ejusdem D. Procuratoris Fiscalis subjungebatur cum evenerint circa tempus longæ, lethaliſque infirmitatis sâ. mem. Innocentii Papæ XII., ejusdem subsecutus obitus fuit in causa ut injuria Ecclesiasticæ Immunitati tam enormiter inflicta, vindicari tunc temporis minimè valuerit.

§. 4. Verum ad Summi Apostolatus apicem evectus Sanctissimus D. N. Clemens Papa XI., patienter adhuc, & suaviter ex sua innata Clementia agendum ducens, paternis officiis egit, ut debita satisfactio præstaretur Immunitati, & libertati Ecclesiasticæ tam graviter læsæ, sperans; quod Violatores illius animo revolventes flagella, & calamitates, quibus Divina Justitia ejusdem læsiones sæpè ulta est, ideoque respicientes, & ad cor revertentes, quidquid adversus Immunitatem Ecclesiasticam, & Ecclesiam ipsam actum, gestumque fuerat corrigerent, & emendarent. Quoniam verò intra plurium annorum spatium, qui à die ejusdem enormissimæ læsionis immunitatis Ecclesiasticæ effluerunt, illius Violatoribus longanimitate Sanctitatis Sux fem-

Episcopus ob id à Prorege Neapolim vocatur, quo se confert, & postea iussu Pontificis Aquilam redit.

Mandante Prorege à dicta Civitate, toroque Regno per vim excellitur & in exilio moritur Innocentio XII. in exterrimis laborante.

Clemens XI. potestatem Laicalem suaviter adducere conatur ad factis faciendum Ecclesiæ, sed frustra.

per abutentibus, eorum respicientia spes omnis profus evanuit; Justitia profecto ulteriorem non patitur desidia in adhibendis iis remediis, quae de jure competunt, ad corrigendos, & emendandos tam graves excessus. Quamobrem ad instantiam, & pro parte praefati Domini Procuratoris Fiscalis fuimus instantes, & debite requisiti, quatenus firmis remanentibus censuris latis contra supradictos Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti, Doctores Nicolaum Gaudiosum, Antonium Cortes, Gasparem Narbonam, ac Fulvium Salsanum de Luna, occasione praedictae executionis sententiae contra praenominatum Josephum Carosi, & sine praedictis procedendi ad similem declaratoriam incursum Censurarum hujusmodi tam pro expulsionem praenominati Episcopi, quam pro aliis omnibus praemissis contra alios quoscumque in eisdem praemissis repertos culpabiles cujuscumque gradus, conditionis, dignitatis & praeminentiae existant, etiam specialissimam mentione dignos, suis loco, & tempore nominant, & cognominant, de opportuno juris remedio providere, & Monitorium extra Romanam Curiam, & ad partes, ad legitimum comparandum decernere, & concedere dignemur.

Decretum in
Sacra Congre-
gatione Im-
munitatis ab
eodem Ponti-
fice factum,
ut contra Ex-
pulsos d.
Episcopi
ser. proceda-
tur ad decla-
ratoriam in-
cursum Cen-
surarum.

§. 5. Nos igitur Carolus de Marinis Auditor, & Judex antedictus, debitam praestantes obedientiam, & respectivè inhaerentes Decreto à Sanctissimo Domino Nostro edito in Sacra Congregatione Generali Immunitatis Ecclesiasticae habita coram Sanctitate Sua, tenoris sequentis videlicet: *Aquilana, Cum de anno 1700. die 20. Julii de mandato Orontii Monfortis Ducis Lauriti tunc temporis Praesidis Civitatis Aquilanae, & aliorum Ministrorum ejusdem Regiae Audientiae, fuerit per abusum potestatis laicalis, cum maximo jurisdictionis Ecclesiasticae, & Dignitatis Episcopalis contemptu, & omnium Christianorum scandalo, violenter expulsus à sua Diocesi, & toto Regno Neapolitano, tunc in humanis agens Fr. Ignatius de la Zerda illius Civitatis Episcopus, Sanctissimus Dominus Noster videns non sine magno animi sui dolore irritos, & inanes evasisse omnes conatus, quos adhibuerat, & omnes terminos, quos ex innata animi sui Clementia per plurimum annorum spatium assignaverat pro obtinenda congrua tanto vulnere jurisdictioni Ecclesiasticae, & Episcopali Dignitati inflicto reparatione, & evidenter agnoscens ejusdem reatus Auctores abuti sua paterna longanimitate: prospicere omnino intendens tutiori Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticae sibi divinitus credite in Congregatione Generali Eminentissimorum; & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, & Praetorum, controversis jurisdictionalibus, & Immunitati Ecclesiasticae praepositorum, habita in Palatio Quirinali coram Sanctitate Sua, die infra scripta, auditis in tam gravi causa omnium suffragiis, decrevit, & mandavit, ut super praefata expulsionem, tam manifestè Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticae laesiva, A. C. procedat servatis servandis contra praedictum Orontium Monfortem, omnesque alios culpabiles ad declarationem incursum omnium Censurarum in Bulla Cæne, & in aliis Apostolicis Constitutionibus, & Sacris Canonibus contentarum. Romæ hac die 17. Junii 1704. Gaspar Cardinalis Carpinus: I. Archiepiscopus Athenarum Secretarius: Loco † Sigilli: Petitioni hujusmodi annuentes, vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuilibet in solidum tenore praesentium committimus, & in virtute S. obedientiae strictè præcipiendo mandamus, quatenus statim visis, seu receptis praesentibus, & postquam praesentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum requisitus fuerit, ex parte nostra, immò veriùs Apostolica auctoritate antedictos Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti, Doctores Nicolaum Gaudios, Antonium*

Cortes, Casarem de Capua, Fulvium Salsanum olim Praesidem, Auditores Rotæ, & Advocatum Fiscalem respectivè Regiae Audientiae Civitatis Aquilæ, nec non illius Procuratorem Fiscalem, & Anicellum de Petris Secretarium ejusdem, moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, citari & requiri facietis, eisdemque, & cuilibet ipsorum præcipietis, & mandetis, prout Nos eisdem harum serie citamus, monemus, & requirimus, eisdemque, & cuilibet eorum præcipimus, & mandamus per praesentes primo, secundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra quadraginta quinque dierum spatium, quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro secundo, & reliquos quindecim pro tertio, ultimo & peremptorio termino, ac trina canonica monitione assignamus, & Vos assignetis, debeant, & cuilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat Romæ in iudicio coram Nobis, vel infra scripto Perillustri, & Excellentissimo D. Antonio Sabaino Locumtenente nostro in Criminalibus Generali legitime comparuisse, & comparere, ad deducendum, & allegandum Causam quare non debeat ipso, & eorum quemlibet in omnes, & singulas censuras, & penas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & praesertim in Bulla in die Cæne Domini quotannis legi, & publicari solita contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse, & incurrisse declarari, & contra eos & illorum quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, & respectivè ipsi non debeant condemnari ad damna, expensas, & interesse, super praemissis cum dicto Domino Procuratore Fiscali, & aliis, cum quibus opus fuerit, juri stetit, deque illorum innocentia, si quæ sit, legitime docuisse, praesentique nostro Monitorio omnino paruisse. Certificantes eosdem sic monitos, requisitos, & citatos, quod si in praedicto Monitorii termino non comparuerint vel aliquis ipsorum non comparuerit; Nos nihilominus, sive dictus in Criminalibus D. Locumtenens noster infra scriptus, ad ulteriora Juris, & Facti remedia, & ad declarationem incursum penarum praedictarum, usque ad Sententiam, illiusque executionem inclusivè, prout juris fuerit, per contradictas, vel Edictum publicum, procedemus, sive procedet, eorum contumaciâ, vel absentia, & aliis quibuscumque non obstantibus. Et cum Nobis constet per testes fide dignos, de mandato nostro examinatos, ad Civitatem Aquilæ, & alia loca in Regno, & ad praedictos Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti, Doctores Nicolaum Gaudios, Antonium Cortes, Casarem de Capua, Fulvium Salsanum, olim Praesidem, Auditores Rotæ, & Advocatum Fiscalem respectivè Audientiae Civitatis Aquilæ, aliosque, ut supra citandos, & monendos, pro praesenti nostro Monitorio exequendo, tutum non patere accessum, volumus & auctoritate nostra decernimus praesens nostrum Monitorium in Romanâ Curia ad valvas Magnæ Curiae Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ & extra eam in confinibus hujus Status, Ecclesiastici versus Regnum Neapolis, nempe in Civitatibus Asculi, Reatis, Terracinae, Verulanæ, & Civitatis Verulanæ, nec non Terrarum Nursiae, Montis S. Joannis, Sublaci, & Ceprani ad valvas Cathedralium, & respectivè majorum Ecclesiarum, per dimissionem, & affixionem illius copiae, & in actis infra scripti Norarii legitime reproductum, ita eosdem monitos arctare, & adstringere perinde valeat, ac si personaliter, & magis legitime executum foret, contrariis quibuscumque non obstant. in quorum fidem &c. Datum Romæ, ex magnâ Curia Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo

Nomina Ex-
pulsorum, ci-
tatorum, &
monitorium
ad compar-
andum, & al-
legandum cau-
sam quare
&c.

septingentesimo septimo, Indictione decimâ quintâ, die verò trigesima mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentiâ Papæ XI. Anno septimo.

Antonius Sabainus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Paulus Fatius Curie Causarum Camera Apostolica Notarius.

Die 31. Januarii 1703. Elapsis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curie servari solitis, lata, & publicata fuit contra omnes præfatos citatos Contumaces Sententia declaratoria incursum in omnes, & singulas Censuras, ac penas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palam affixa fuit publica Scheda nuncupat. Cedoloni, qua universis Christianis denuntiati fuerunt excommunicati vitandi, ac in eventum mortis privati Ecclesiastica Sepultura omnes, & singuli, contra quos prædicta Sententia lata fuit.

IV. MONITORIUM

Die 13. Octobris 1713, vigore specialis Chirographi Pontificii expeditum contra Reos, fautores, & complices violentæ expulsionis Archiepiscopi Messanenensis, Episcopi Catanensis, & Episcopi Agigentini à Regno Siciliæ ob immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam ab ipsis constanter assertam.

Nicolas Spinula Archiepiscopus Thebarum, Pontificii Soli Assistent, Curia Causarum Camera Apostolica Generalis Auditor, Romanaque Curie Judex ordinarius; Sententiarum quoque, ac Censurarum tam in eadem Romana Curia, quam extrâ cam lateranum, ac Literarum Apostolicarum quarumcumque universalis, ac merus Exequutor, nec non Judex à Sanctissimo Domino Nostro Papa in infrascripta Causa per speciale Chirographum Deputatus, & Delegatus.

Universis, & singulis Reverendis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Parochialiumque, & Collegiarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentis nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino.

§. 1. Noveritis, quod hac infrascripta die comparuit coram nobis Perillustri, & Excellentissimo Domino Nicolao Jacobatio Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Camera Apostolicæ Generalis Procurator Fiscalis, & notissima Jura memorando exposuit quod licet Ecclesiasticæ Censuræ specialiter Apostolicæ Sedi reservatæ, quemadmodum in primis sunt illæ, quæ ex violatione libertatis, immunitatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ proveniunt, ejusmodi naturæ, & qualitatis sint, ut nemini omnino, præterquam Summo Romano pontifici pro tempore existenti, ac Sacræ Congregationi super Immunitate Ecclesiastica, & controversis jurisdictionalibus ab eadem Sede cum necessariis ad id facultatibus specialiter deputatæ, ab illis absol-

vere, vel eas sub cujuscumque Appellationis, seu recursus, aliòve quovis prætextu revocare, aut etiam ad tempus, & ad effectum comparendi, vel agendi tantum, seu quocumque alio modo, suspendere fas sit. Nihilominus idem Dominus Procurator Fiscalis novissime hic innovasse subjunxit in Regno Siciliæ errorem hac in re perniciosissimum invaluisse, quo nonnulli Censuris hujusmodi innodati ad quædam illius Regni præfata Tribunalia recurrentes ab eis, vel eorum assertis Judicibus, seu Delegatis ad effectum agendi, vel alio quæsito colore, absolutionem ad cautelam, vel cum reincidentia ad aliquot tempus, seu etiam plenariè sub prætextu nullitatis, vel injustitiæ earundem Censurarum reportare consueverant. Unde hac urgentissimâ postulante causâ, Sanctissimus Dominus Noster Papa promta, & paternâ sollicitudine curavit, ut à præfata Sacra Congregatione Immunitatis Ecclesiasticæ omnibus Archiepiscopis, & Episcopis dicti Regni in ejusdem Pontificæ sollicitudinis partem vocatis encyclicæ, seu circulares literæ scriberentur, quibus excitabantur eadem in re animarum saluti consulere; & per Edictum ad id promulgandum Populos suæ curæ commissos publicè edocere, quòd à prædictis assertis Judicibus & Delegatis sive provisionaliter, sive plenariè absoluti eisdem, ut priùs, censuris irreciti remanebant ex defectu potestatis, & quod propterea erant vitandi, nec ab Excommunicationis vinculo solvi poterant, nisi ab ipso Summo Pontifice, vel prædictâ Sacra Congregatione Immunitatis Ecclesiasticæ, omni alio, quacumque tandem Dignitate, & potestate, etiam Apostolici Legati à Latere, suffulto penitus excluso.

§. 2. Inter regni Præsules, de quibus nunc loquendum est, Edicta hac in re cum insertione literarum dictæ Sacræ Congregationis die 16. Januarii 1712. datarum promulgarunt Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Joseph Migliaccius Archiepiscopus Messanenensis, ac Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Andreas Riggus Episcopus Catanensis. Agrè, & acerbè tulit Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus Marchio Carolus Philippus Antonius Spinula Columna de los Balbazes Pro-Rex dicti Regni, & forsitan nonnulli alii ex Regiis Ministris agrè similiter tulerunt hanc Edictorum publicationem, ut demonstravit quoddam Bannimentum de ordine dicti Domini Pro-Regis promulgatum in pluribus Civitatibus, & locis dicti Regni, ac præsertim in Civitatibus Catanæ & Messanæ, per quod sub inani profus, ac insubstanti prætextu ibidem expresso ad publicam notitiam deducebatur præfata inefficacia præfatorum Edictorum Episcopatum, in quibus insertæ erant literæ supradictæ Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ, in omni eorum parte, & tenore, illaque propterea nulla, invalida; ac legum tam communium, quam municipalium læsiva, nec non privilegiis, ac inveteratæ dicti Regni consuetudini repugnantia declarabantur, eademque censurâ non solum afficiebantur affixa, ut supra, & jam publicata, verum etiam quæcumque alia similia Edicta, & Brevia, si quæ in quibusvis aliis Civitatibus, seu Locis Regni prædicti similiter affigi contingeret, & alias, prout in memorato Bannimento, cujus tenorem non quidem approbandi, sed penitus, & omnino reprobandi animo præsentibus pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Quare ne Christiani fideles autoritate laicâ perterriti, & falsis opinionibus seducti à via veritatis aberrarent, nonnulli dicti Regni Præsules cuicumque pernicioso errori providè, ac sapienter obviam ire duxerunt: ac signatè dictus Dominus Episcopus Catanensis pro veræ, ac sanæ Doctrinæ confirmatione, nec non præfati Bannimenti,

Archiepiscopus Messanenensis, & Episcopus Catanensis iussu Sac. Congregationis Edicta promulgant, quibus declarant Excommunicatos ob læsam Immunitatem Ecclesiasticam absolvi non posse nisi à Summo Pontifice vel à præfata Congregatione.

Excommunicati ob læsam Immunitatem Ecclesiasticam absolvi non possunt, nisi à Summo Pontifice, & Sac. Congreg. Immunitatis Ecclesiasticæ.